DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI:

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;
Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS MAWE,

HIBERNUS.

Ad Diem 24 Junii, horâ locoque solitis.

——— flammæque latentis
Indicium rubor est, et ductus anhelitus ægre.
Ovid. Met. Lib. vii.

Inspice, nescio quid trepidat mihi pectus et ægris
Faucibus exsuperat gravis halitus———
——— qui dicit Medico.
Persii Sat. iii.

Gutture sulphureas lente exhalante mephites.
Id.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1803.

VIRO OPTIMO

VEREQUE BENEVOLENTI

RALPH MARSHALL,

ARMIGERO,

DE COMITATU KERRIENSI,

JURIS LEGUMQUE PERITO,

VIRTUTIBUS PLURIMIS ET PUBLICIS ET PRIVATIS

SANE SPECTABILI,

DE SE SUISQUE OPTIME MERITO,

OB INNUMERA BENEFICIA IN SE SUOSQUE

COLLATA,

HOC QUALECUNQUE TENTAMEN MEDICUM,

ANIMI GRATISSIMI INDICIUM,

OMNI, QUA DECET, DEFERENTIA,

SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

NEC NON

VIRO PRÆCLARO

REV. BARTH LLOYD, S. T. C. D.

MORUM HUMANITATE,

PIETATE INTEMERATA,

INGENUARUM PERITIA ARTIUM,

CÆTERISQUE VIRTUTIBUS QUÆ HOMINEM EXORNANT

ADMODUM CONSPICUO

OB

INSIGNEM, QUA SE SEMPER EXCEPIT,

BENEVOLENTIAM,

HANC DISSERTATIONEM,

PRIMOS SUOS, IN ARTE MEDICA, CONATUS,

ANIMO GRATISSIMO, OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

AUCTORE THOMA MAWE.

Quoniam ab legibus hujufce Academiæ fancitum eft, ut ii, qui ad gradum Doctoratûs afpirent, et publicam falutem fibi permitti velint, fcientiæ et peritiæ fuæ medicæ fpecimen quoddam in apertum proferant: fert me animus de Phthifi Pulmonali paucis differere, eaque edere, quæ mihi, fuper hac re meditanti, imprimis notatu digna videntur. Ignofcat autem mi lector benevolus, quod rudis et tenuis tantum ingenii (quod fentio quam in me fit exiguum)

rem adeo difficilem et funeſtam tractare auſim: non enim eo arrogantiæ proceſſi ut quid novi luminis huic morbo adhibere me poſſe exiſtimem; verum quicquid ex aliorum ſcriptis excerpere potui, vel propria experientia inſtruit, hic inſerere conabor. Strages hoc morbo, peſte quaſi, harum inſularum populis illata, ad *hunc* conatum me movet, et ſi quid levaminis humano generi afferre poſſum, opera mea quam bene collocata erit!

DEFINITIO.

Phthiſin Pulmonalem cel. Cullenus ſic definivit: "Corporis emaciatio et debilitas, tuſſi, "febre hecticâ et plerumque expectoratione pu-"rulentâ."

Quoniam verò hæc definitio non ſatis apta videtur, idcirco, quo magis exacta eſſet, verba, "ſemper ferè cum dyſpnoea et dolore cujuſdam

"partis

" partis thoracis plerumque obtuſo," ſubjicere mihi liceat.

HISTORIA.

Phthiſis a pleriſque auctoribus in duo ſtadia, nempe in inflammatorium et ſuppuratorium, ſeu in Phthiſin incipientem et confirmatam, diviſa eſt.

Primi ſtadii indicia.—Primo ſtadio ſemper adeſſe obſervatur tuſſicula levis, fere ſicca et crebra, interdum etiam humida, veſperi et per noctem præcipue ingraveſcens; reſpiratio plus minus difficilis, corporis quovis motu, aſcenſu praeſertim, aucta; moleſta etiam in utrumvis latus cubatio, titillatio faucium, raucedo, ſæpe hæmoptyſis quoque cum ſenſu ponderis circum praecordia, et genarum rubedine adſunt. Tuſſis ab initio et ægro et familiaribus ejus adeo mitis videtur, ut pro nihilo habeatur, donec vires

tantas

tantas eundo acquirit, ut ad eam amovendam, malosve ejus effectus avertendos, peritissimorum conatus irritos reddat. Inertia, appetitûs plerumque prostratio, vomitus sæpe post cibum, cum alvo ut plurimum adstricta eveniunt. Pulsus celer et durus, interdum etiam plenus est, lingua albida et facies pallida fiunt, oculorum adnatæ colorem margaritarum referunt. Sanguis in hoc stadio missus crustâ albidâ tenaci plerumque obductus est; hæc ægrum, aliquot per menses vel etiam annos, plus minus urgent, ortumque habent plerumque verno vel autumnali tempore.

In progressu autem morbi respiratio difficilior et pulsus crebrior evadunt; halitus fœtide olet, oculi subsidunt; vultus omnino præter maculam rubram circumscriptam pallescit; lingua, quæ hactenus albida et humida fuit, nunc nitida et rubra fit, et tandem aphthis obducitur; dolor thoracis et tussis, quæ interdum primo stadio adesse haud observantur, nunc tandem sese produnt;

dunt; febricula accenditur, quæ omnia ſymptomata ſecundum ſtadium denotant.

Hujuſce febris (quæ Hectica audit) invaſiones duplices quotidie ſunt, veſperi nempe et meridie; hæc fere magis obſcura eſt, niſi poſt cibum aut exercitationem; veſpertina autem acceſſio clarior plerumque et fortior horam circiter quintam aut ſextam P. M. languore, debilitate et rigore quodam comitata invadit; frigore cito evaneſcente totum corpus, præſertim volæ manuum et pedum plantæ, præter morem caleſcunt; horam circiter tertiam matutinam ſudores a capite, collo et pectore diffluunt, atque febrilem invaſionem amovent: paroxyſmo peracto multum levatur æger, et tandem gratiſſimo fruitur ſomno. Summo mane ſequente copia ingens puris flavi et viridis, interdum cum ſapore fœtido et ingrato, aliquando etiam ſalino exſpuitur; concretiones cretaceæ tuſſiendo nonnunquam quoque ejiciuntur; urina ſedimentum furfuraceum deponit; ſitis parum augetur, appetitus non ex toto proſternitur

tur; contrà verò cibum æger ſæpe avidiſſimè appetit. Nunc dyſpnœa ægrum nocte dieque fatigat, cum dolore thoracis moleſtiſſimo, nunc vago nunc fixo, tuſſique adaucto; alvus, quae hactenus plerumque adſtricta fuit, præſertim matutinos poſt ſudores, nunc ſolvitur, et tandem in perpetuam diarrhœam deſinit, quæ, ſudore deficiente, immanior fit; capilli decidunt, ungues incurvantur, corpus paroxyſmis iteratis magis magiſque extenuatur; fætor ab ore, etiam a corpore toto, emanat; (in fæminis, cum aliquamdiu perſtitit morbus, menſium fluxio prorſus deſinit), viribus tandem penitus proſtratis corpus intumeſcit, præſertim crura circum et pedes, deglutitio læditur et ſputa ſupprimuntur; mentem, quæ hactenus varia fuit, nunc dejecta, nunc ſpe elata, delirium, mortis prænuncium, tandem invadit, ægrique miſeriis finem imponit.

Haec indicia verò eundem ordinem ſupra memoratum non ſemper obſervant; in quibuſdam etenim invaſio meridiana veſpertinâ gravior eſt,

in aliis plurima ſigna, ut expectoratio purulenta, vomitus, thoracis dolor, et etiam tuſſis abeſſe obſervantur. In fæminis uterum gerentibus morbus ſuſpendi videtur, aucta vi poſt foetum expulſum rediturus. Juvenes ad hunc morbum maxime proclives ſunt, fœminas magis quam viros aggreditur, eaſque thorace anguſtiore, collo longo, altisque humeris præditas, et quod maxime dolendum eſt, forma venuſtiore et teneriore indutas; nulla autem ætas aut conditio ei immunis exiſtit. In regionibus calidioribus contagioſa eſſe fertur, verum apud populos harum inſularum hocce ita ſe habere non audivi.

DIAGNOSIS.

Phthiſin ab aliis morbis ſecernere apprimè utile et neceſſarium eſt: cum aliquatenus progreſſa ſit ſatis facile diſtinguatur; verum initio, ubi diſtinctio maxime intereſſe videtur, longe aliter res ſe habet. Morbus, a quo Phthiſis inci-

piens

piens difficillime dijudicari poteſt, Catarrhus appellatur: hic præcipue hyeme aut vere a frigore collecto originem ducit, et ſubita fere eſt ejus invaſio, tuſſis eum comitans plerumque gravis conſtans et humida eſt, pyrexia plus minus adeſt, faucium quoque tumor et inflammatio, coryza, raucitas, ſternutatio vix ulla cum debilitate adſunt, quæ omnia medicamentis rite adhibitis, aut etiam ſponte vel æſtate appropinquante aut aliquatenus progreſſa, evaneſcunt, quorum pleraque catarrhum exhibent: contra vero tuſſis, Phthiseos ſocia, ſæpe levis et ſicca diu manet; interdum abeſt, et poſt intervalla redit, modo lenis modo gravior, horâ ſomni et mane praecipue ingraveſcens atque levi dyſpnœa ſtipata; dolor aliqua in parte thoracis, lenta macies et debilitas certiſſima diſcrimina ſunt: præterea, totius corporis formæ morbiſque, quibus æger vel majores ejus proclives fuerint, animum intendere haud abſurdum eſſet. Phthiſis æſtivo tempore non decedit, nec ſemper a frigore, catarrhi inſtar, ortum habet; præterea ſi ſputo nil ineſt præter mucum,

catarrhum

catarrhum indicat; ſed ſi quid puris eidem ineſſe comperiatur, Phthiſis jure habenda ſit. Plurima experimenta, quibus mucus a pure diſtinguatur, non ſolum ab antiquis verum etiam a recentioribus inſtituta ſunt; ſputum ſi aquæ marinæ affuſum, imum petat, pus ab antiquis recenſitum fuit, ſin minus, mucus; ſed huic experimento parum fidendum eſt, quia pus aëri admiſtum innatare plane patet; nil quoque agit odor fœtidus a pure igni injecto emiſſus, cum idem ſit de muco vel ulla animali ſubſtantia. Experimenta viri ingenioſi nuperi Caroli Darwin et mucum et pus in acido ſulphurico diſſolvi docent; at hoc difficilius, et ſi tali puris ſolutioni aquam adjicias, pus vel fundum petit, vel ita per liquorem diffunditur, ut turbidum omnino reddat; ſed mucus facilius diſſolvitur, et tali muci ſolutioni aquâ adjectâ mucus ſeparatur et obſervatur vel ſuperficie innatans vel diſcerptus in flocculos in liquore ſuſpenditur. Idem vir ingenioſus aſſerit ſi ſolutioni puris in potaſſa aqua adjiciatur, pus præcipitari, muci vero hujuſmodi ſolutionem aquæ addi-

tione nullam ſubire mutationem. Pus acriter concitatum facilius aquæ immiſcetur, mucus autem tardius; illud breviter poſt quietem præcipitatur, hoc nequaquam. Pus quoque brevi aceſcit et cito putreſcit, mucus vero diutiſſime (in moderato atmoſphæræ calore) blandam ſervat indolem, nunquam in acidam ac tardiſſime in putridam fermentationem tranſiturus.—Phthiſis confirmata febre hectica ab omnibus aliis morbis probe diſcernatur.

PROGNOSIS

Super hoc morbo fere ſemper infauſta eſt. Phthiſin etiam ab initio nunquam periculi expertem eſtimandam oportet, longeque major pars eorum, qui ei ſemel impliciti fuere, eodem perierunt. Exitus autem pro morbi progreſſu plus minus anceps plerumque exiſtit: ſed quoniam nonnulli ab mortis faucibus mirifice erepti ſunt, omniaque quæ ad ægri ſalutem conferant,

tentare

tentare decet: indicia quæ ſpem ſalutis recuperandæ ſecum afferunt, quæque inſauſta, enumerare nitar. Primo in ſtadio morbi, ſi vires haud multum imminutæ ſint, reſpiratio facilis, tuſſis lenis abſque ulla labis hæreditariæ ſuſpicione, exitum felicem ſperandum præbent, etiam ubi inflammatio et irritatio ſolummodo adſunt, hæc medicamentis perite adhibitis feliciter cedunt. Lingua quoque biliosa, appetitus ſomnuſque benigni fauſta inter indicia numerantur; ſi autem reſpiratio difficilis, tuſſis moleſta, expectoratio copioſa fœtida et puriformis ſint, cum febre magis ſæviente, vix ullam ſpem fovere ſinunt; ſed ſi ſuppuratio facta (quamvis viribus haud fractis ſi exſcreari poteſt, non infauſtum eſt) vires penitus proſtratæ, ſudores matutini, diarrhœa liquente alternantes, cum tumoribus œdematoſis artus inferiores occupantibus, accedant, aut cum a mala pectoris conformatione, vel a labe congenita orta fuerit, ne vel minimam ſpem alere valemus. Phthiſeos curſum ſupervenientibus mania aut graviditate ad tempus inhiberi fertur, his autem

amotis

amotis, vi aucta rediturum; nonnulli etiam perhibent ſuperveniente mania morbum prorſus amotum eſſe.

RATIO QUORUNDAM SYMPTOMATUM.

Tuſſis ſicca, morbum incipens, ab inflammatione tunicas bronchiorum membranaceas irritante, vel a muco in veſiculis et ramulis tracheæ detento et vitiato oriri videtur.

Dyſpnœa et oppreſſio, ab tuberculis, muco et vomicis, libero aëris per tracheæ ramulos tranſitui obſtantibus, ortum habent, omnique corporis motu, qui ſanguinis curſum per pulmones accelerat, ſemper in pejus abeunt.

Debilitas

Debilitas et macies, ex respiratione læsa, concoctione cibi depravata, nocturnis sudoribus et alvi proluvie colliquitivis, febre Hectica, quæ, febrium instar omnium, vires magnopere frangit, proveniunt; tussis quoque somnum reficientem arcendo ad hæc procreanda plurimum confert.

Febris Hectica, ad absorptionem puris a plerisque refertur; quoniam vero ubi nullum pus formari observatur, febris hæcce adesse videtur, viribus debilitatis haud inepte fortasse tribui debet; unde vespertina accessio in hac æque ac in febribus aliis oritur, adhuc sub judice manet.

De crurum et pedum intumescentia, vasa sanguifera morbo laxata et difficilis sanguinis reditus exhalationem augent, et hinc humor seri instar in telam spongiosam congeritur, et inde tumorem generat.

Sputa purulenta ex ruptis tuberculis aut vomicis effunduntur, interdum sanguine commista

sunt

ſunt, et tunc ab vaſis vicinis, quibus ſanguis continetur, eroſis provenire videntur.

Quomodo curſus phthiſeos graviditate inhibetur, variæ ſunt opiniones, nonnulli ad derivationem oxygenii ab matre ad fœtum, alii ad nauſeam et vomitionem perpetuam graviditatis comites, referunt: ſed hæcce ſuſpenſio multo melius fortaſſe ad ſanguinis majorem determinationem, uterum verſus, indeque ad pulmones minorem, referri debet; et hoc veriſimilius videtur, quod fœtu expulſo, omnia ſymptomata in pejus abeunt, nempe quia tunc determinatio ad mammas et pulmones multo major evenit.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES

Quæ homines Phthiſi obnoxios reddunt, triplices memorantur, nempe, temperamentum corporis ſanguineum, thoracis prava conformatio,

atque

atque debilitas; de quibus ſigillatim paucis agere nitar.

Temperamentum ſanguineum per pleniorem corporis conſtitutionem, cutem mollem et delicatam, capillos flavos, rufos, et interdum fuſcos, venas magnas et tumidas bene dignoſcitur, animus varius, hilaris, levis, et ſæpe voluptuarius eſt; hæ temperamenti ſanguinei notæ ſunt, et hoc præditis ſumma cautela opus eſt. Thoracis pravæ conformationis indicia ſunt anguſtia pectoris, collum gracile et longum, ſcapulæ prominentes, coſtæ depreſſæ, nimia corporis pro ætate proceritas, quæ omnia opportunitatem ad Phthiſin efficiunt, ratione minime quidem obſcurâ. Phthiſis etenim meridie vitæ præcipue occurrit, quo tempore magna arteria et arteria pulmonalis eam attingunt amplitudinem, quam vis cordis et arteriarum poſtulat, et ſanguis per pulmones præ cæteris partibus impetu diſtribuitur, quocirca ſi præ exiguitate arteriæ pulmonales ſanguinem in ipſas impulſum tranſmittere nequeant, vel ſi

ex his quædam præ cæteris comprimantur, exinde fit quod sanguis in pulmonibus supra modum cumulatus, nimiosque motus arteriarum excitans, effusionem vel crassamenti vel seri in bronchia telamve cellulosam efficiat; ansamque tuberculis præbeat. Idem fit ex omni corporis positione quæ pectus coarctat, modo diu in ea perstare necesse est ; hinc patet ratio quare sedentarii præ omnibus aliis ad hunc morbum proni fiunt.

Vasa bronchiorum debilitatis universalis participia, sanguinem in ipsis congerunt, et ita quantitatem muci præternaturalem effundunt, tussiendo nonnunquam ejiciendum, sæpius autem in pulmones ipsos effunditur, ibique nidum tuberculis creat. Sed ex omnibus causis prædisponentibus longe frequentissima est scrophula. Cadavera fere omnia dissecta scrophulæ indicia exhibent, et summa Phthisin inter et scrophulam intercedit affinitas: ambo per æstatem remissionem ferunt: tumores scrophulosi Phthisin sæpe comitantur, interdum quoque his externis signis

amotis

amotis, Phthiſeos indicia evolvuntur. Calidarum regionum incolæ huc delati ad Phthiſin proclives fieri dicuntur.

CAUSÆ EXCITANTES,

Quarum præcipuæ ſunt catarrhus, hæmoptyſis, pneumonia, aſthma, et lues venerea, &c.

Phthiſis ex catarrho ſæpe emanat, hic enim cutis halitum ſupprimendo, et vaſa externa conſtringendo, copiam ſanguinis pleniorem pulmones verſus impellit, tuſſis quoque ejus comes, irritatione ſua fere perpetua, tubercula, ſi quævis adſint, excitat.

Hæmoptyſeos effectum Phthiſin agnoſcunt plurimi auctores, vix tamen dubitandum eſt quin illa ex hac ſæpius provenit; tamen ſi ſanguis in bronchiorum ramulis per remoram corrumpatur,

Phthiſis jure timenda eſt, præſertim ſi in eam proclivitas adſit.

Pneumonia quæ in ſuppurationem abit, tubercula alioquin inertia manſura ad inflammationem, et puris maligni generis ſecretionem ſtimulat, et ita hecticam inducit.

Phthiſeos invaſionem aſthmate acceleratam eſſe nonnulli perhibent, nempe tubercula in inflammationem et ſuppurationem rapiendo, valido, quo quatit pulmones, motu ; aſthma tamen in hydrothoracem ſæpius quam in phthiſin tranſit.

Lues venerea ulcus in pulmonibus ut alibi forſan creat, ſed nimia quantitas hydrargyri in ea curanda abſumpta, Phthiſeos cauſa excitans veriſimilis eſt ; aliæ quoque cauſæ excitantes memorantur, ſcilicet quarundam artium exercitatio, ut ſartores, fabri ferrarii et lignarii, et præ aliis, qui pulveri ſubjiciuntur.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Ex historia hujusce morbi jam prolatâ, videre licet quam inermis et fere inefficax sit ars nostra ad eum amovendum. Auctores medici, qui de Phthisi pulmonali tractarunt, omnes in hoc consentiunt, morbum etiam incipientem difficillime subigi; at aliquatenus provectum omnino insanabilem esse. Sed quoniam exempla quædam morbi jam plurimum progressi remediis felicissime cessisse tradita sunt, et quoniam medicorum est omnem opem auxiliumque arripere quibus miserandæ ægrorum sorti subvenire possint, ut si sanitatem minus queant solatium saltem illis concilient; remedia, quæ nunc maxime licere conceduntur, enumerare conabor; et hunc in finem in quatuor divisiones redacta sunt; nempe, ab causis excitantibus præcavere; tuberculorum inflammationem impedire, vel jam inceptam amovere; sanguinis cursum a pulmonibus avertere;

tere; et denique ſymptomata maxime urgentia lenire et mitigare.

Prima indicatio optime obtinetur morbum primarium, (ſcilicet qui Phthiſi faveret), perite amovendo et corpus a frigore externo, et ab omnibus cœli mutationibus muniendo, ad cujus malos effectus præcavendos nil magis præſtat, quam lanea ſubucula, quæ in hoc morbo apprime utilis eſſe probatur; tum ex multorum teſtimoniis, cum ex hoc præcipue quod gens neſcio quæ ſeptentrionalis, antequam panni lintei uſus iis notus fuit, Phthiſeos immunis extitiſſe fertur; et præterea Batavi, qui veſtimenta calida induunt, plerumque hujuſmodi morbi expertes obſervantur. Multas ob cauſas Phthiſici panno laneo præ linteo ad cutem veſtiendi ſunt, quia indole minus irritante eſt, et quia per eam frigida circumambiens atmoſphæra calorem corpori ſubducere nequit, et ideo per hyemem calidus eſt, et quia perſpirationem tempore æſtivo cum corpus calore gravidum eſt, promovet; et ſic hac tempeſ-

tate

tate refrigerans ſit, et denique quia humores aqueos ab cute expulſos abſorbet. Ex hinc patet quod totum per annum uſus ejus continuetur: veruntamen quod anglice *fleecy hoſiery* vocatur, ſi modo in promptu ſit, huic anteponendum eſſet. Cum cauſa excitans ad artis cujusvis exercitationem referri poteſt, ab ea deſiſtere omnino oportet.

Migratio regionem in calidam per brumam negligenda non eſſet; et Galliæ regio auſtralis, Luſitania, inſula Madeira &c. ſummis laudibus efferuntur; verum ex his duo noviſſimi incommodis ſuis non carent; talis eſt humiditas Luſitaniæ et regio montana Madeiræ, quæ occaſionem exercitandi Phthiſicis adeo neceſſariam denegant; et in Hiſpania ab magiſtratibus cautum eſt ne hoc morbo laborantes in domos recipiantur, et ſic cane pejus et angue evitantur; ſed beneficium quod ex regione calida oriri putatur, maxima ex parte conſequi poſſumus temperiem cubiculi, in

quo

quo cubat æger, ad gradum circiter ſexageſimum ſervando.

Quando ſigna inflammatoria, dolor nimirum pectoris ſub inſpiratione auctus, pyrexia, pulſus celer et durus, reſpiratio difficilis et tuſſis ſicca ſuperveniunt, regimen antiphlogiſticum, ut aiunt, ſcilicet venæſectio, diæta parca, libera aëris frigiduli admiſſio, vel potius ſedula caloris externi evitatio, fæcium alvinarum evacuatio, vaporum aceti vel aquæ tepidæ inhalatio cæteraque remedia quæ inflammationem temperant, adhibere oportet. Sed in ſanguinis abſtractione jubenda ſummâ cautelâ opus eſt; intempeſtivus etenim ejus uſus tantum malum corpori inferre poſſit, quantum poſtea nullo modo reparare queamus, præſertim cum ſcrophulam, aut labem hæreditariam, aut tubercula jam formata adeſſe ſuſpicamur: tunc ad venæſectionem cautiſſime confugiendum ſit, ſed potius cucurbitulis cruentis vel hirudinibus, aut epiſpaſticis magis fidendum eſſet. Digitalis ob dotes ejus, quibus pulſus arteriarum tar-

diores

diores reddere, et quibus aquæ hydropicæ abſorptionem promovere obſervatus fuit, ſummam famam in hoc morbo ſibi paravit, non modo ad inflammationem diſcutiendam, verum etiam ad tuberculorum abſorptionem promovendam, præcipue cum ſub initio morbi uſurpatus fuerit; febrim hecticam, et ſudores quoque ſublevare fertur. Doſis ejus primo ſemigranum non exſuperaret, ſed gradatim augeatur; mala ejus epiſpaſticis regioni ventriculi et ſpiritu vini bene corriguntur. Hydrargyrus, cinchona, cicuta, cerulſa acetata, &c. fautores ſuos habuerant; verum nunc praxi hodierna, ut inefficaces, rejiciuntur. Quando vero ex lue venerea Phthiſin proveniſſe colligere poſſumus, tunc hydrargyrus locum habere rite videtur. Experientia ex propria aſſerere queo, quod in lue curanda, quæ affectui pectorali magnopere gravi supervenit, hydrargyri præparationes non ſolum luem, verum etiam omnia pectoralia ſymptomata amoverunt. Cicuta in ſcrophulæ morbo ſæpiſſime laudata, ſpes magnas in Phthiſeos curatione expletura videbatur; talia autem adhuc minime

præſtitit,

præſtitit, vi tamen ejus hebetante ad dolores ſopiendos utilis eſſe poteſt.

Sanguinis curſum a pulmonibus ad cutem dirigere omnino jus eſt; et hinc laneum induſium remedium longe efficaciſſimum ſtatim repetendum eſt, (vid. ſupra de ejus uſu). Lenem exercitationem, ſedis penſilis motionem, navigationem &c. plurimum prodeſſe, omnes uno ore conſentiunt; verum equo vehi hoc duplum beneficium afferre videtur, quod non ſolum corpus verum etiam animum exercet; veruntamen ex his navigationem longe optimam eſſe exercitationem uſus edocet; ſæpe etenim nautas hoc morbo irretitos, quando diutius aliquo in portu detenti ſunt, conqueri, et nil præter mortem ſibimet proponere, ni altum ſtatim petant, et ubi in alto ſunt, officiis ac alii nautæ fungi comperies: ex quo patet quod navigatio Phthiſin ſaltem ſuſpendere poteſt. De modo autem ejus operandi variæ ſunt opiniones; nonnulli bonos ejus effectus ad aërem marinum, alii veriſimilius fortaſſe ad nauſeam et vomitum, quibus

quibus fere omnes hoc remedium experti tentati ſunt, et quibus nil fortius ſanguinem ad ſuperſiciem corporis determinat, referre voluit ; lenis quoque et conſtans navis motus ad hoc haud parum confert; maxima beneficia ab ſedis penſilis motione accepta plurimi referunt ; res ſane haud levis momenti iis, qui exercitationem æquivalentem parandi ſumptus tolerare nequeunt; ambulatio ſanguinis curſum pulmones verſus dirigit, et ideo Phthiſicis non permittenda eſt, ſed ei geſtatio ſufficienda ſit; nauſea et vomitus ſanguinis determinationi externe magnopere favent. Quidam emetica ad nauſeam ſolummodo excitandam exhiberi jubent; ſed fortaſſe hoc magis debilitat ac ſi ad plenam vomitionem exhibeantur, et bis terve in ſeptimana repetantur. Emetica hoc modo adminiſtrata ventriculum non modo exinaniunt et bilis accumulationi obſtant ; verum pulmonibus vomitione compreſſis quicquid muci vel materiei purulentæ in ramulis bronchiorum, veſiculis aëris, tuberculis aut vomicis continetur expellere plurimum tribuunt, et ſic incommodis

quæ a tuſſi perpetua proveniunt quodammodo amotis, pulmones conquieſcere permittuntur, donec materies iterum accumulata irritationem renovet.

Tuſſis moleſta medicamentis mucilaginoſis, ſcilicet quæ fauces et glottidem linunt et ſic irritationem tollunt pulmoneſque quieſcere ſinunt lenienda eſt. Glycirrhyza, gummi arabicum, althea, tuſſilago, etc. hoc bene efficiunt; at ſi tuſſis gravior evadat, opio, quamvis phlogiſticæ diatheſi favente, mitiganda eſt, quia plus boni, ex placida quiete conciliata, quam mali, ex phlogiſtica diatheſi adjuta, eveniat. Opium, kino, catechu, potio cretacea, extractum hæmatoxyli, ſimarouba, &c. diarrhœam probe comprimunt; ſudores colliquitivi acido ſulphurico, aëre frigidulo, cubiculo bene loto, veſtimentis levibus injectis, parvis doſibus ſulphatis zinci, et finem verſus ubi vires multum fractæ ſunt, cinchonâ officinali, et ferri præparationibus compeſcendi ſunt. Thoracis dolorem epiſpaſtica, et ſi phlogiſtica diatheſis

thefis multum urgeat, venæfectio probe leniunt. Aphthæ nonnunquam ad tempus amoveri poffunt gargarifmate, linctu aftringente, &c. Puris expectorationem afæfœtidæ folutio, lac ammoniacum cum oxymelle fcillitico plurimum adjuvant.

Diætâ fuper nunc reftat aut paucis abfolvam; inter omnes fere ratum eft quod ex lacte et farraceis ut plurimum conftaret, hujufmodi enim diæta dum mitis, fatis nutriens et beni fucci eft, nec irritat, nec cor et arterias incitat. Lac vaccinum facilius parari poteft, et ubi nil obftet quo minus ufus ejus adhibeatur, cæteris anteponendum eft; fed interdum præ majore cafei copiâ quem ventriculi fucco coagulatum præbet, lacti caprino aut afinino pofthabendum eft; hæc etenim concoctu faciliora funt propter quod facchari plus, butyri autem et cafei minus, habent. Lac muliebre et equinum fecundum ab iis locum tenent; nonnulli lacti ebutyrato propter acorem primum locum concedunt; dum alii lac recens

cum

cum pauxillo ſpiritûs vini et ſacchari commiſtum anteponunt. Minuta portio carnis atque vini, aquæ dupla quantitate admiſti, ſummo cum fructu permittitur. De uſu aërum factitiorum in hoc morbo plurimum diſputatum fuit; ſed quoniam nil pro certo de iis teneo, ſilentio præteriundum duco.

FINIS.

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO.